IN DEI NOMINE AMEN.

RAYNERIUS ALLIATA OMNIPOTENTIS DEI, & Apostolicae Sedis gratiâ Archiepiscopus Pisarum, Insularum Corsicae, et Sardiniae Primas, et in eis Legatus natus &c. Pisanae Academiae Apostolica, et Imperiali Auctoritate Magnus Cancellarius

UNIVERSIS, & singulis praesentes Litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam.

QUUM plura sapienter, optimeque instituta fuerint, ut Pisana Academia, quae antiquitate, praeclaris Legibus, eruditorum hominum frequentia, omniumque doctrinarum gloria ubique merito celebratur, nobilius adhuc florere, novisque in dies splendoribus fulgere posset, illud etiam veteri consuetudine, simulque Pontificum, et Caesarum auctoritate receptum fuit, ut egregii Viri, qui a singulis fere Orbis partibus ad ipsam confluxerint, emenso jam doctrinarum omnium cursu, meritis laudibus, atque sapientiae Insignibus ornarentur. Ita nimirum Adolescentes ipsi hac honestissima laudis cupiditate incensi Liberalibus Artibus, ac severioribus etiam disciplinis omnibus alacrius incumbunt; adeoque plurimi ex eadem Academia, veluti eximia optimarum artium altrice, prodire solent, qui sapientiae gloriam ubique tueri, atque feliciter augere possint. Ejusmodi certe laudis amore inflammatus Dnus Cosmus [illegible] De Genova Pellinengo De Buggella cum egregiis disciplinis aliis tum praesertim gravissimis, Pontificii, et Caesarei Juris studiis sedulam, atque diligentem operam dedit, et quum primum ipsi licuit, ea optavit coram nobis, et universo Juris consultorum Collegio exhibere ingenii doctrinaeque suae argumenta, quae ex Academiae Legibus illi exhibeant oportet, qui Doctorum honorum Insignibus sunt a nobis decorandi. Nos igitur ut eximius ipse vir votorum suorum compos fieri possit nostrum ad hoc Locumtenentem elegimus ac deputavimus Dnum Petrum [illegible] J.U.D. Primatialis Ecclesiae nostrae Canonicum, nostrumque Vicarium Generalem, cui die XVI Mensis Junii Anno Dñi MDCCCXX ab Excmis Dnis Francisco [illegible] Laurentio Quaracci, [illegible] Joanne Carmignani, [illegible] Del Borgo, Josepho Cantini, et Augustino Fiurnei rite propositus, idem egregius Vir legitimeque praesentatus fuit, ut quemadmodum Academiae Constitutionibus praescriptum est, postquam per legitimum tempus uberioris, et solidioris Jurisprudentiae Magistros studiose, et diligenter audivit, qui secundum eorum fidem et religionem, publicum, et luculentissimum de hujusce Viri praestantia dixere testimonium; statisque intervallis, praeparatoria experimenta feliciter subiit coram eodem Vicario ipsorum Professorum, postremo tandem pleniorique examini subjiceretur. Quandoquidem vero de iis quae in Canonico et Civili Jure continentur, egregium doctrinae suae specimen fecit, ac publice ad horam interrogatus, nitide, accurateque adeo singula exposuit, ut de ipsius in Utroque Jure peritia, nullum sibi jam superesse dubium, Excmi Patres, unanimi suffragio nemine penitus discrepante declaraverint, Idcirco et Excmum Patrum ipsorum consilio judicioque permotus idem Vicarius eximium Virum hunc dignum habendum esse duxit, qui auctoritate nostra ad Insignium doctoratus gradum jure, meritoque posset promoveri. Quamobrem quum hodierna die Jurisconsultorum Collegium in Aedes hasce nostras per Nos convocatum fuisset postquam eximius ipse vir in praesentia Vicarii nostri, et Excmum Promotorum suorum solemnem Catholicae fidei Professionem, a Tridentina Synodo, et fel. rec. Papa Pio IV. praescriptam publice emisit, ipsique constanter jurando juramento se obstrinxit, idem Vicarius, ac Locumtenens noster auctoritate nostra qua in hac parte fungimur, sibi concessa eximium hunc Virum Dnum Cosmum De Genova Pellinengo, ita examinatum, et approbatum in Utroque Jure Doctorem elegit, constituit, creavit, et declaravit, ut ubique gentium Doctoris nomine, titulo gradu, privilegiis, juribus, immunitatibus, ac praerogativis omnibus fruatur, quibus Excmi Doctores alii hac ipsa auctoritate creati frui consueverunt, ut ille nimirum ubique gentium Utriusque Juris Sententias exponere, interpetrari, consilia edere, docere, respondere ac judicare possit, caeterosque actus, tum Pisis, tum ubique exercere qui a Doctoribus aliis in Academia creatis probatisque exercentur. Consueta vero honoris, gradus, ac dignitatis hujus insignia idem ornatissimus Dnus Cosmus De Genova Pellinengo ita in Doctorum censu relatus ab Excmo Dno [illegible] Promotore suo eadem ipsa auctoritate nostra recepit. Lauream nimirum, annulum, Libros, amplexum, simulque osla, ut praeclara haec ingenii, doctrinaeque ornamenta, quae libenter ipsi concessimus, ad majorem DEI gloriam, ipsius decus, communemque felicitatem dirigantur.

UT autem praemissis omnibus quae auctoritate nostra, rite, legitimeque peracta, atque a Nobis ipsis probata, et confirmata sunt, perenne robur, ac indubium testimonium accedat praesentes Litteras, Cancellarii nostri manu subscriptas, consuetoque Sigillo nostro munitas expediri, ipsique concedi jussimus.

DATUM Pisis in Aedibus nostris Archiepiscopalibus praesentibus D.D. [illegible] Mazzei et [illegible] Carli testibus ad id vocatis, et rogatis die IV. Mensis Januarii Anno MDCCCXXI Pio VII. Pontifice Maximo sedente et FERDINANDO III. Principe Imperiali Austriae, Reg. Hungariae, et Bohemiae Principe Archiduce Austriae, Magno [illegible] feliciter dominante.

Joannes Baptista Torsolini
J.U.D. et Canc. Archi. Pisar.